

conuiciati fuerint. At qui conuicium dixerit in spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed obnoxius est aeterno iudicio. Quia dicebant: Spiritum immundum habet.] Tale quiddam hoc loco dicit. Quaecumque alia peccauerint homines, habent forte, quod prætexit indulgisse se humanae infirmitati. ut exempli gratia: Dicebant Christum uoracem & bibonem, amicum publicanorum & peccatorum, in illo ueniam assequuntur: quando autem uidentes eum operari miracula indubitata, blasphemarint spiritum, hoc est mira opera per spiritum sanctum facta: quomodo tunc ueniam assequerentur, nisi poenitentiam egerint? Quando enim offenduntur in carne Christi, etiam si pro illo non egerint poenitentiam, ueniam obtinent tanquam offensi homines. Verum quum uident opera dei eum facere, & blasphemare pergunt, quo pacto dimittetur eis si impoenitentes manserint?

Et ueniunt mater eius & fratres: & foris stantes, miserunt ad eum qui euocarent eum; & sedebat turba circa eum, dicuntque ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quaerunt te. Et respondit eis, dicens: Quae est mater mea, & fratres mei? Et quum circumspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit uoluntatem dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.] Fratres domino inuidentes, accesserunt ad eum ut caperent eum tanquam in furorem uersum, & daemoniacum, Mater autem fortassis inani gloriola mota, uenit, ut à doctrina ad se illum attraheret, & ostenderet turbis, quod ipsa illum qui tantis miraculis conspicuus erat, gubernaret, atque ita ut à doctrina auelleret. Dominus igitur respondit, quod nihil proderit matri meae, et se matrem meam, nisi & alias possederit uirtutes. Similiter neque fratribus, esse consanguineos. Illi enim sunt ueri cognati Christi, qui uoluntatem dei faciunt. Itaque non negando matrem hanc dixit, sed ostendens quod non propter natiuitatem solam digna fuerit hoc honore, sed propter omnes alias uirtutes, quibus praedita fuit: ita ut si illis caruisset, alij ei fuissent praelati.

CAPVT IIII.

Eterum coepit docere iuxta mare, & congregata est ad eum turba multa, ita ut nauim ingressus, sederet in mari, & tota turba iuxta mare in terra erat, & docebat eos per parabolas multa.] Quamuis uideatur dimisisse matrem, iterum tamen obedit ei: propter illam enim egreditur ad mare. Ceterum in naui sedet, ut in conspectu habeat auditores omnes, magisque audiat, & nullus sit à tergo.

Et dicebat illis in doctrina sua: Audite, ecce exibat seminator ad seminandum, & accidit inter seminandum: Aliud quidem cecidit secus uiam, ueneruntque uolucres coeli & comederunt illud. Aliud uero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, & statim exortum est, quod non haberet altitudinem terrae: sole autem exorto, aestu affectum est: & eo quod non haberet radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas, & succreuerunt spinæ, ac suffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum emergentem atque crescentem: & afferebat unum triginta, & unum sexaginta, et unum centum. Ac dicebat illis: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Quum autem coepisset esse solus, interrogauerunt eum hi, qui circa ipsum erant cum duodecim, de parabola, & dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni dei: illis autem qui foris sunt, per parabolas omnia fiunt: ut uidentes uideant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & remittantur eis delicta, hoc est peccata.] Primam hanc parabolam ponit, quæ est de semine, quo reddatur auditores attentiores. Quoniam enim dicturus erat uerbum esse semen, quod ubi ceciderit in parum attentos, corrumpitur: propterea ante alia hæc dicit, ut auditores studeant non illi terræ similes fieri, quæ semē disperdit. Quis igitur est qui seminat: Ipse Christus, qui exiuit à paternis sinibus, ineffabili misericordia se nobis attemperans. Exiuit autem non ut incendat maledictam terram & mala corda, neque ut execet spinas: sed ut seminet semen. Quale autem semen? Nunquid Moysis? nunquid prophetarum? non: sed suum, hoc est

Et Euangelium suum prædicet. Inde igitur seminauit. Iam semen aliud in animā à mul-
 tis conculcatam cecidit: & uolatilia coeli, daemones dico, qui aërem inhabitant, comede-
 runt semen: ij sunt qui hominibus placere uolunt. Anima autē cōculcata, est quādo quis
 placere uult huic & illi, & sic à multis conculcatur. Vide autē quod non dixerit, se pro-
 iecisse illud in uiam: sed, cecidisse. Nā qui seminat, ceu in uiam bonam projicit: illa autē si
 inuenta fuerit mala, uerbum corrumpit. Quidam autem per semen, quod secus uiam ce-
 cidit, pulchre intellexerunt quod ceciderit in cor infidele. Via enim est Christus. *Cæte* *Ioan. 14.*
 rum secus uiam, sunt infideles qui extra uiam sunt, hoc est Christum. Aliud autem cadit
 in animam petrosam, eos dico qui facile suscipiūt, & deinde abijciunt. Qui petrosi sunt
 ad paruum tempus similes facti petrae Christo, in hoc quod sermonem susceperunt: dis-
 similes autem facti, eo quod ad tempus breue susceperunt, & deinde abiecerūt. Et aliud
 in animam cecidit multis curis obnoxiam: spinæ enim curæ sunt. Deniq; quartum in ter-
 ram bonam cecidit. Prōinde uide, quomodo rara sint bona, & pauci qui seruentur: nam
 quartum tantum semen inuenitur seruatum. Porro discipulis seorsim interrogantibus,
 inquit: Vobis datum est nosse mysteria. Nunquid igitur per segregationem & naturale
 fatum alijs quidem datum est, alijs uero non? absit. Sed illis datū est, qui inquirunt. Quæ
 rite enim (inquit) & dabitur uobis. Cæteros autem excæcauit deus, ne sit illis in maiore
 condemnationē, si intelligant & non faciunt. Et aliter: Vis scire, quia deus facit omnes
 uidere, audi: Ut uidentes, hoc est dei: Non uideant, istud est malitiæ illorum. Deus enim
 formauit eos uidentes, hoc est bonum intelligentes: ipsi autem non uident sua sponte,
 ne conuertantur & emendentur, quasi suæ ipsorum saluti inuideant. Potest etiam & sic
 intelligi: Quia alijs in parabolis loquor, ut uidentes non uideant, & audientes non intel- *Es. 4. 6.*
 ligant, & ne quando ex hoc conuertantur & emendentur.

Et ait illis: Nescitis parabolam hanc: & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Se-
 minator ille sermonem seminat. Isti uero sunt, quorum alij iuxta uiam dicuntur ubi se-
 minatur sermo: & quum audierint, confestim uenit satanas, & aufert sermonem qui se-
 minatus est in cordibus eorum. Et alij sunt similiter, qui in petrosa semen excipiunt: qui
 quum audierint sermonem, statim cum gaudio accipiunt illum: & non habent radicem
 in se, sed temporarij sunt: deinde coorta afflictione, aut persequutione propter sermo-
 nem, confestim offendantur. Et alij sunt, qui in spinas semē excipiunt: ij sunt qui sermo-
 nem audiunt: & sollicitudines seculi huius ac deceptio diuitiarum, cæterarumq; rerum
 cupiditates introeunt, suffocant sermonem, ac redditur infructifer. Et alij sunt, qui in
 terram bonam semen exceperunt: qui audiunt uerbum, & suscipiunt, & fructificant, ita
 ut aliud granum afferat triginta, aliud sexaginta, aliud centū. Tres ordines sunt hoc
 loco eorum in quibus uerbum perditur. Nam hi qui sunt secus uiam, paræ attentī sunt:
 hi autem qui comparantur petrae, pusillanimes: illi uero qui comparantur spinis, delica-
 ti. Eorum quoq; qui suscipiunt & conseruant uerbum, similiter tres sunt ordines. Nam
 qui fructum afferunt centuplum, sunt qui perfectam & summam uitam agunt: qui au-
 tem sexagecuplum, qui mediocrem: hi uero qui trigecuplum, sunt hi qui parui quidē
 sunt, afferunt tamen & ipsi pro suis uiribus. ut exempli gratia, inuenis uirgines, & soli-
 tarios item alios, qui in cœnobijs & cōgregationibus uiuunt: alios quoq; laicos & con-
 iugatos. Veruntamen dominus omnes suscipit. Gratia sit eius misericordiæ.

Et dicebat illis: Num lucerna incenditur, ut subter modium ponatur, aut subter le-
 ctum? Nonne ut super candelabrum ponatur? Nō est enim quicquam occultum, quod
 nō manifestetur: neq; fuit secretum, sed ut in propatulum ueniat. Si quis habet aures ad
 audiendum, audiat. Hoc loco admonet apostolos, ut sint claræ & honestæ uitæ. Di-
 cit enim: Sicut lucerna ponitur ut luceat, ita & uita uestra omnibus conspicua erit, & o-
 mnes ad ipsam respicient: idcirco date operam, ut uita uestra bona sit. Neq; enim in an-
 gulo sedebitis, sed lucerna estis. Lucerna autem non sub lecto occultatur, sed super can-
 delabrum ponit. Erit autē & unusquisq; uestrum lucerna, qui debet poni super candelab-
 rum, hoc est super summitatem diuinæ uitæ, ut & alijs possit lucere: sed nō sub modio,
 hoc est sub gastrimargia, & ciborū cura: neq; sub lecto, hoc est quiete. Nullus enim cui

cibi curæ sunt: & qui requiem desiderat, poterit lucerna esse, omnibus lucens etiam per suam uitam. Non enim est occultum, quod non manifestetur. Vnusquisque uelstrum, siue bonum quid fecerit, siue malum in occulto fecerit, manifestabitur etiā hic, & multo magis in futuro seculo. Quid enim absconditius deo: attamen & ipse manifestatus est in carne.

Et dicebat illis: Videte quid audiat: Qua mensura metimini, alij metientur uobis, & adjicietur uobis qui auditis. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferet ab eo. Ad uigilantiā hortatur discipulos. Videte enim (inquit) quid audiat, nullum ex dictis meis uos fugiat. In qua mensura mensi fueritis, remetientur alij uobis. hoc est, qualē mensurā attentionis attuleritis, talis etiā utilitas uobis dabit. Auditor enim si attenderit quantum potest, magnū illi commodum deus dabit: sin remissus fuerit, iuxta eius remissionem & lucrum imminuetur. Illi enim dabitur, qui alacer est & diligens: ab eo autem qui segnis fuerit ac ignauus, tollet, etiā quod uidetur habere. Propter ignauiam enim extinguitur etiam parua scintilla quam habet, sicut per alacritatē reaccendit.

Et dicebat: Sic est regnum dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, ac dormiat, atque ille exurgat die ac nocte, segesque germinet, ac surgat in altum dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat: primum herbam, deinde spicam, deinde plenū frumentum in spica. Quum autem productus fuerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Regnum dei, intellige dei propter nos incarnationē. Homo enim est ipse deus, qui propter nos factus est homo. Semen autem misit super terrā. Euangelij prædicationē: illoque proiecto dormit, hoc est ascendit in celos, attamen surgit nocte & die. Nam quamuis deus dormire uideatur, excitat tamen: & nocte quidem, quando per tentationes in sui cognitionem nos suscitatur: die uero, quando per suauiā & iucundā nostram uitam moderatur. Crescit autem semen ipso nescio: liberi enim arbitrij sumus. Et in uestra electione oportebit semen ipso nescio: liberi enim arbitrij sumus. Et primum boni demonstrantes, quando paruuli sumus, & nondum ad mensuram Iesu Christi peruenimus. Deinde spicam proferimus, quando & contra tentationes consistere ualemus. Spica enim & geniculis cingitur & recte stat, & perfectior est ac turgida. Quando autem quis perfectum fructum attulerit, & affuerit messis, tunc falx, hoc est uerbum dei, congregat fructum. Per messem intellige consummationem seculi.

Et dicebat: Cui assimilabo regnum celorum? aut qua collatione conferemus illud? Est sicut granum sinapis, quod quū seminatum fuerit in terra, minus est omnibus oleuinibus quæ sunt in terra: & quum seminatum fuerit, exurgit, & fit maius omnibus oleuinibus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aues celi nidificare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, prout poterant audire. Sine parabola uero non loquebatur eis: seorsim autem discipulis suis exponebat omnia. Paruus quidem sermo fidei. Nam si credideris in Christū, saluaberis. Vide qualis sermo: tale est & granum sinapis. Nam prædicatio missa super terram, dilata est & creuit, ita ut uolatilia celi, hoc est omnes sublimes scientia & sensu in ipso habitent. Quot enim sapientes relictæ sapientia gentiliū, in prædicatione requieuerunt? Maxima igitur fuit prædicatio, & magnos ramos fecit. Vnus enim apostolorum ad Indiam, alius ad Rhomam, & alius in aliā partē terræ diuisi sunt ut rami. Dicebat autē ad turbas in parabolis multis, iuxta habitudinem audientium compositis parabolis. Quoniam enim turba erat imperita & indocta: ideo mentionem facit grani sinapis, & herbar, & seminis, ut cognatis & consuetis nominibus doceat eos utile quiddam: uel excitet ut accedant & interrogent, & interrogando quæ ignorauerant, discant. Discipulis enim exponebat omnia, quoniam seorsim accedebat eum & interrogabant. Omnia autem soluebat, quæcunque ut ignorantes rogabant: non enim simpliciter omnia, & quæ manifesta. Nam de his quæ dixerat eis interrogant, cetera enim manifesta eis erant, & ita omnia exponebat eis.

Et dicit illis in die illo quum facta esset uespera: Transeamus in ulteriorem ripam. Et dimissa turba, assumunt eum ita ut erat in nauis: sed & aliæ nauiculæ erant cum eo. Et oritur procella uenti magna, & fluctus irruerunt in nauim, ita ut illa iam impleteretur. Et erat ipse

ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitant eum, dicuntque illi: Præceptor, non est tibi curæ quod perimus? Et excitatus increpauit uentum, dixitque mari: Tace, obmutesce. Et conqueuit uentus, factaque est tranquillitas magna: & ait illis, Quid timidi estis adeo? Qui sit ut non habeatis fiduciam? Et timuerunt timore magno, dicebantque inter sese: Quisnam hic est, quia uentus & mare obediunt ei? Aliter hæc enarrauit Matthæus, aliter Marcus, nam quæ ille dixit diffusius, hic in compendium contraxit: & ediuerso, quæ ille contractius, hic diffusius dicit. Assumit igitur solos discipulos, qui futuri miraculi spectatores essent. Porro ne extollerentur, quod ipsos dimissis alijs assumpserat, & ut doceat ferendas tentationes, relinquit eos procellis periclitari. Dormit autem, ut maius appareat miraculū, quū prius turbati fuissent. Nā si uigilasset Christus, & facta fuisset tempestas, uel non timuissent, uel non orassent: prōinde permittit eos in metū periculi incidere, quo uirtutē ipsius sentirent manifestius. Quia enim uidebant alijs beneficia dari, sese autem nullo tali frui, periculum erat, ne fierent negligentiores. Itaque tempestatem oriri permittit. Porro super ceruical dormit, quod in naui erat, nimirum ligneū. Excitatus uero, primum increpauit uentū (Hic enim est, qui ferox reddiderat mare) deinde & mare. Discipulos autem increpauit, eo quod non habuerant fidem. Nam si fidē habuissent, credidissent utique quod & dormiens posset illos seruare illæsos. Dicebant enim inter se: Quis nam est hic? Adhuc enim de eo dubitabant. Cæterū secūdū qd solo præcepto mare sedauit, & nō uirga, ut Moses mare: neq; inuocatione, ut Elízæus Iordanem: neq; arca, ut Iesus Naue: & propterea super hominem illis uidebatur. In eo autem quod dormiuit, rursus eis homo uidebatur.

CAPUT V.



Tuenerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum. Egressoque ei de nauī, statim occurrit ē monumentis homo spiritui obnoxius immundo, qui domicilium habebat in monumentis: & neque catenis quisquam poterat eum ligare, propterea quod quum sæpe compedibus & catenis uinctus fuisset, disceptæ essent ab illo catenæ, & compedes essent comminutæ, neque quisquam ualuisse eū domare: & semper diē ac nocte in montibus & monumentis erat clamans, & concidens seipsum lapidibus? Probatoria exemplaria habet, in regionem Gergesenorū. Igitur Matthæus duos dicit dæmonio agitato, Marcus & Lucas unum, atrociorē in medium proferentes. Venit igitur qui dæmonio agitabatur, confitens illum esse filium dei. Quoniam in nauī dubitabant discipuli, quantus hic esset. Maioris fidei sit testimonium à gentibus, quas per dæmones intelligo. Habitabat autē in sepulchris, uolens hominibus malam opinionē inferre, quod morietium animæ dæmones fiant: quod absit, ut quis credat.

Quum uidisset autem Iesum eminens, cucurrit, & adorauit eum, & clamans uoce magna, dixit: Quid mihi tecum est Iesu, fili dei altissimi? adiuro te per deum, ne me torques. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et respondit, dicens ei: Legio mihi nomē est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multū, ne se emitteret extra regionem. Tormentum suū putant dæmones, si cogant exire ab homine, ideo dicunt, Ne torques, hoc est ne educas nos ē habitaculo nostro, hoc est homine. Sed & aliter existimabāt, qd ppter grauiā quæ attētaissent, non ultra passuros esset ipsos, sed mox supplicijs traditurus: idcirco & orant, ne se torqueat. Interrogat autem illum dominus: non ut ipse discat, sed ut alijs discant multitudinem dæmoniorum qui in illo erāt. Quandoquidem unus apparebat esse, ostēdit Iesus cū quot inimicis miserabilis homo ille certarit.

Erat autem ibi iuxta montem grex porcorum magnus pascens, & deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et permisit eis statim Iesus. Et egressi spiritus immundi, ingressi sunt in porcos. Et ferebatur grex p præceptis in mare. Erant autem ferme bis mille, & suffocati sunt in mari. Porro qui pascebant porcos fugerunt, & renunciauerunt in ciuitatem, & in agros. Dæmones orant

Matth. 8.
Luc. 8.